comperi. Sibyllæ foliis uberiores esse, sæpè mecum an-
xius cogito quid fuerit potissimum, unde hanc conjectu-
ram ceperis? et quibus maximè rationibus possim à me-
is cervicibus depellere, quam tu mihi impendere
existimas tam deformem calamitatem. Vale. Obse-
cro ut ex me salutes piissimam conjugem cum
reliquis familiarissimis. Duisburgi 3. Nonas
Julij 1560.

Tui studiosissimus
Johannes Molanus.

205.)
[=Mscr. a. 7: Nr. 65]

D. Petro Salen. Bremæ.

Pax Christi.

D. Petre senex piissime, ecquid me cogitas in magnis
fluctibus, vel tui vel tuorum colloquiorum vel car-
minum festivissimorum esse oblitum? Vivit ad-
huc recens omnium apud me rerum illarum
memoria quæ meo cunque animo semper proje-
cto aliquid roboris contulerunt; imprimis
autem illa dulcissima consuetudo quæ nobis in
conjectu D. et Mœcenatis nostri fuit, ipsa recor-
datione sic me recreat, ut sæpe vigilans somniē
me et adesse vestris sanctissimis conviviis
et amicissimorum virorum oculos contemplari;
Neque quos, quidem intelligere ætatis sim, quando me sapere
oportebat maximè. Unde fit hic stupor innatus
meo pectori, ut nunc demum tandem bona mea
postquam è manibus quasi inter digitos fluxerint,
Rogo te mi Petre amemus internos, neque offendat
vos meus inquietus spiritus, qui me sæpè in acerbos dolo-
res conjecit. Oro etiam per nostram amicitiam
te obtestor, ora D. Doctorem Albertum, ut quæ
à me parum sincerè facta fuerunt Bremæ, ubi to-
tum septennium miserè me ipsum affligi et quas-
sarè potui, fidem præstiti, ea mihi propter

communem Christi servatoris παῤῥησίαν, ἀνα-
χὴν καὶ παῤῥησίαν, in meliorem partem interpre-
tetur, neque eorum respectu suum a me alienet ani-
mum faciat. Nunquam usquam vixi ubi sanctius
hospitium quam isthic habui, neque etiam ubi fi-
deliores amicos summo immobilis inveni. D.
Doctori et hospitio benigni et suavi parentis lo-
co mihi meisque miseris confugi fuit. Non sit autem
mihi lux matutina, si non et praesentem solicite reve-
ritusque sum, et absentem grati animi pietate complector.
D. Herbertum van Langen ex omnibus quos Bremae
sustinet amavi plurimum, tum quia eum vide-
bam D. Doctori amore multo devinctissimum esse,
tum quia in meis angustiis subinde expertus eram sin-
gularem quandam (in illo tuae nutricis senectutis
et meae imbecillitatis sublevatore) pietatem divinitus
impressam esse. D. Consul Daniel a Buren saepe me
et consilio suo juvit, liberalitate refocillavit. Dispere-
amque si non ego eum ipsiusque familiam et commen-
davi saepe Domino et ex animo dilexi. Te vero mi
Petre sicut hominem Dei fidelem et probatum in
ista aetate tam festiviter pium, tum placido spi-
ritu tam exporrecta fronte, tum candidis moribus
fato quodam isthuc venisse arbitror, ut et te in
eorum numerum referam, quibus nunc a me distra-
ctis post pusillum temporis iterum me conjungar,
ubi se liberator noster rursum mundo ostenderit.
Amen. Vale frater dilecte et gaude in Domino,
quia ipse est Deus tuus et salvabit te dextera eius. Duis-
burgi 29. Junij 1560. Johannes Molan.

~~Nicol~~ Michaëli Varhagen Antwerpiae 206.1

Pax Christi

Nuper suavissime Michaël quum isthuc literas

[= Mscr. a. 7: Nr. 66]